

## E X E M P L A.

EXEMPLUM I. Convictores 4, diebus 15, solvunt florenos 20; quæritur, quot florenos solvere debeant 12 convictores, diebus 36? Colloca numeros ut sequitur:

Convict.	Dies.	Flor.	Convict.	Dies.	Fac.	Flor.
4.	15.	20.	12.	36.		144.

Termini principales in hoc Exemplo sunt, 4 convictores, 20 floreni, 12 convictores: minùs principales sunt dies 15, & dies 36. Multiplica ergo 4 per 15, fient 60 pro primo termino composito. Multiplica item 12 per 36, fient 432 pro altero composito. His factis, dispone ita tres terminos:

Si 60, dant 20; quid dabunt 432?

Duc secundum in tertium, & productum 8640 divide per primum, & dabit Quotus florenos 144.

EXEMPLUM II. Pro 20 centenariis mercium, advectis per 30 milliaria, solvendi sunt 4 floreni: quæritur, quantum solvi debeat pro 50 centenariis, advectis per 40 milliaria. Colloca numeros ut sequitur.

Centen.	Milliar.	Flor.	quantum	Centen.	Milliar.
20.	per 30.	4.		50.	per 40.

Multiplica primum per secundum, & quartum per quintum; & habebis ibi 600, hîc 2000. Deinde dic:

600 dant 4, quid dant 2000? Fac.  $13\frac{200}{600}$ .

Quæ  $\frac{200}{600}$  unius floreni idem sunt ac  $\frac{2}{3}$ , sive  $\frac{1}{3}$  unius floreni, id est, 5 bazii, quia florenus constat 15 baziis.

EXEMPLUM III. Quidam 100 Imperialibus, lucratur intra 2 menses, 3 florenos: quæritur, quantum possit eâdem proportione servatâ lucrari Imperialibus 84, intra 5 menses. Colloca numeros ut sequitur, & operare ut dictum, inveniesque quod vides.

Imper.	Mens.	Flor.	Imperial.	Mens.	Fac.	Flor.	bac.	crucig.
100.	2.	3.	84.	5.		6.	4.	2.

circiter. Alia Exempla proponet ac solvet Instructor, ut Princeps Tyro praxi ipsâ discat.

X

Anno-